


05  
A  
1135



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-637304-p0002-2

DFG

Fortunante Christo!  
OBSERVATIONUM  
HISTORICO-POLITICARUM;  
PRÆCIPUE  
*De*  
COMITIBUS,  
PROMULSIS,

Concesso benevolè in Ampliss. Fac.  
di filosofia

*Philos. Loco tuendo,  
Publicæ eruditorum velitationi*

# exponent

# PRÆSES

# M. FRIDERICUS CALENS,

# HALA . SAXO,

87

# RESPONDENS

# ANTON GUNTHER FASSELIUS,

# Oldenburg-Frisius.

VITEMB. A. D. IV. FEBR. A. C. 13. T. 26 XXCIIIIX.

# IN AUDITORIO MAJORI.



Imprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS, Acad. Typogr.

Eröffnung des Gelehrten  
OBSERVATORIUM  
HISTORICO-POLITICO  
ETC.  
GOTTSCHE GOETHE  
PIERRE ISAAK  
HALLE  
U. LANDES-BIBLIOTHEK  
05 A 1135  
M. FRIDERICUS GALLENUS  
ASSISTENS  
ERNST HENCKEL  
HERZOG WILHELM'S  
BIBLIOTHEK  
URN:NBN:DE:GBV:3:1-637304-P0004-3



## Ταῦτα.

Vobis à Theocrito, Poëtâ Syracusano,  
responsum olim est sciscitantibus : quid causæ es-  
set, cur nihil scribebat ? quia, inquit, ut volo,  
non possum ; ut possum non volo : id fallor ?  
en mibi pariter causari licebit, longè quidem infra decus  
Viri ac fastigium posito, qui captam nuper de Fœderibus Fide-  
lium Scriptionem necdum absolvere dignè potui ; neque vero  
jejunam nimis atque columbam tradere volui ? Qualis baud  
dubie futura erat, si potiorum, quos nequicquam conquisi-  
vi, librorum destituta præsidio, profliganda fuisset. Itaque,  
quod Theocriti modestia in ingenio doctrinâq; suâ desidera-  
vit ad eximium scribendi decus, id inter utriusq; majorens  
oppido inopiam, & librorum insuper, quibus maximè bodit  
scripturi juvamus, curtam nimis supellectilem tanto justi-  
tis conquerar ! Benevolò igitur PATRONORUM non tan-  
sensu, quam suasu factum est, ut quum velitationi pu-  
blicæ prodenda esset materies, miscella quam vides, tan-  
risper substitueretur, pridem enata mibi, quum Comitatûs  
Beichlingensis Wertheriani Historiam satis memorabilem  
delineaturus, de Comitibus ac Comitatibus in genere  
quædam prælibarem, brevi forsitan & lucem visura. Hujus  
interim quicquid est, ut serenâ fronte accipiat, nec secus  
ac par est, interpretetur, si quis forte accipiat, le-  
gat ve, enixè rogo atq; contendeo.

# Favente Christo!

TH. I.



Vem Comites olim gesere magistratum, uti varius fuit, ita minimè confundendus. Qvod accidisse qvibusdam videtur, in designando Pontii Pilati mune re publico. Neqve enim Præsidis Summi fuit illud, (qvalis Vitellius, Vir. Consularis tunc erat); sed Comitis Provincialis, s. Propræsidis, aut, ut ad Romani moris exemplum loqvar, Cæfarei Procuratoris. Idem ex Josepho, Tacito, Tertulliano, aliisq; docet Cujac. l. 19. Obs. 13. Laetant. Lib. 4. Inst. C. 18. Eberlin, de O. J. c. 30. n. 6. Gotofr. ad l. 3. ff. de Offic. Procur.

II.

Innumeros proptermodum in Comitatus divisa initio Germania felicius viguit, qvam seqviori tempore, ubi circumspectâ minus Regum liberalitate coalescens velut in unum corpus multorum robur, sibi pariter & Imperio grave extitit ac formidandum. Vid. Conring. Not. ad Lampad. p. 2. s. II. Ej. Præf. in Pol. Arist. p. 860. Lebm. Chron. Spir. l. 2. c. 16.

III.

Ex institutis Sacri Palatii Lateranensis Comitibus vi gentem Cæsarum in mediâ Româ auctoritatem recte infert ḥāvū Conringius de Fin. Imp. G. c. XXI. p. 554. Idemq; illis hinc jus asserit B. Reines. Comm. Parerg. de Pal. Later. ejusq; Comit. p. 24. Ubi & de officio Comitum Palatii.

Qvo

Qvō de doctē pariter ac copiosē Chiflet. Anast. Childer.  
H. g. p. 138. & Spelm. Gloss. p. 142.

IV.

Qui Castellis atqve arcibus absentium Imperatorum  
prahidebant Comites, idem aliquando nominis indepti  
leguntur: post deinde *Castellani*, *Castaldi*, *Vice-Domini*  
atqve *Burggravi* dicti. Qui titulus demum etiam iis hæ-  
sit, qui non burgis seu arcibus, sed aliis fortē locis ac ditio-  
nibus, præsertim Ecclesiæ Imperatorum donatione sub-  
inde adjectis, corundem autoritate, præssent. Sanè e-  
nīm per *Castella* etiam ap. antiquos non propugnacula  
saltem aut munimenta parva, Ottonum & subseqv. tem-  
poribus *burgwardia* dicta; sed *urbes* aliquando & plura  
*oppida* cum *vicinis agris* significari, observavit Robertus  
*Sheringham de Anglor. Orig. c. 4. Vid. etiam ap. illusir. Ziegl.*  
*ide Jur. Maj. L. 1. C. 28. §. 13. p. 432. locum ex P. Diacono,*  
*in Valentiniano: crebra per limitem habitacula constituta*  
*burgos vulgo vocant.* Inde id muneris, uti reliqua hujus-  
temodi, in hereditariam paulatim dignitatem transisse  
constat. (Vid. Besold. de Comit. c. 2. seqq. Dn. Ziegl. l. c. Cujac.  
ad l. 1. feud. tit. 1. Spelm. Gloss. Voce *Comes. Et c. Gylm. Sym-*  
*pbor. l. III. Vol. 4. n. 42. 43. p. 96. seqq. Chron. Car. h. 5. p. 528.*  
*Ed. Vitemb. in fol.*) Qualis hodieque ampliori qvidem ac  
Principali honore conspicua, quatuor Burggraviorum Im-  
perii Majorum, præter alios minores, eminet. V. Limn.  
*J. F. L. 5. l. 4. c. 14. Laur. Peccenst. P. 1. Tb. Sax. c. 18. p. 266.*

V.

Ita Comitum Imperii majorum Quatuorviratus  
Ducali dignitate pridem censetur: non satis qvidem de-  
terminatae hactenus originis, sed ipsam fortē hinc vetusta-  
tem suam arguentis. Usu sanè publico & auctoritate

diu jam ante Caroli IV. tempora firmatum assertumqve  
id decus, vel Petro de Andlo & Felici Malleolo, proxumis isti  
ævo scriptoribus perqvam gnavis atqve idoneis meritò  
creditur, qvando nec Rec. Imp. superioris Seculi refragan-  
tur, nec alia Diplomata pub. Qvale non - unum exhibet  
Laur. Peccenst. d. l. § p. 272. Vide etiam adplaudentem il-  
lustrem harum rerum ac felicissimum Scrutatorem, Sum-  
mum pariter Theologum Dn. D. P. J. SPENERUM, Op. He-  
rald. P. Spec. L. 3. c. 30. §. 1. § 12. Ut adeò vix opus videa-  
tur, cum B. Dn. Gæderio, Academiæ bujus Antecess. qvon-  
dam Ordinario meritissimo, ultimam ejus originem ad il-  
lum à Carolo M. & anterioribus Imperatoribns introdu-  
ctum ordinem Majorum; Minorumq; Comitum, crudite  
qvidem, referre, aut ipsos Cod. Tb. tit. de Comit. § Fri-  
bun. Scholar. § de Comit. rei milit. in caussæ patrocinium  
allegare. (V. Ej. cons. 1. de jurisdict. n. 7.) Qvippe cui  
consuetudo diurna, felicissima ejusmodi institutorum,  
jurisque præcipue, qvod Plinius nobiscum egregiè con-  
sentiens (l. 8. Ep. 14.) vocat, Senatorii parens satis patro-  
cinatur. Vide tamen sis quoq; Defensorem egregium, celeber-  
rium Dn. Fritschium. Vol. 1. Var. Exerc. Jur. pub. n. 14.  
16. § in Suppl. Speid. Besold. voce Schwarzburg.

## VI.

Non est, cur indignetur aut invideat Italis Lansius,  
qvod Comites suos, nullâ ratione cum Germanis compa-  
randos ampliorib; insigniant titulis. (vid. ej. Or. contra Ital.  
p. 769.) qvando genius lingvæ & dicendi mos non aliter  
fert, qvam ut luxurient titulis, aut certè luxuriare vide-  
antur.

## VII.

Eò autem luxuria Germaniam quoqve procedere  
dicam,

dicam, an abripi? uti dolendum meritō ; ita minime o-  
mnium probatur, qvi passim jam inolevit mos, geminato  
**Domini** titulo in Literis compellandi etiam nobilitatis  
non adeò illustris viros, h. m. Hoch-Edelgebohrner Herr  
Herr. Certè enim vel imprudentiā amanuensium irrepsisse  
id primū videtur, qvi exteriori Literarum inscriptioni,  
( ubi tolerabilius, nec tam abhorrens ab usu loqvendi  
scribendive ista geminatio ) consentaneam interiorem  
compellationem reddituri, qvod in Epithetis honorariis  
sanum dignumqve erat, de ipso **DOMINI** titulo perperam  
acceperunt; vel divini Honoris qvandam prodit **nanopis-**  
**μησιν.**

### VIII.

**NOBILIS** atqve etiam **DOMINI** titulum non Comitum  
såltem olim ac Principum, sed ipsorum Regum atqve Im-  
peratorum proprium fuisse constat. *V. Lambec L. 2. rer.  
Hamb. n. 383. in not. It. Eyben. Tr. de Tit. Nobilis §. XI.* Ra-  
rò ac seqviori tempore ad primogenitos, imperiive pro-  
ximòs heredes porrectum, qvi alioquin cum fratribus  
**Domicelli** s. Domini juniores, vel Plautino verbo, *Heri mi-*  
*nores* dicebantur. Græcorum fortè ad morem, qvibus  
Filius Imperii heres Δεσπότης; junior autem cum addi-  
to, Δεσπότης νεώτερος qvasi jüngerer Herr/ seu qvod idem,  
Juncker adpellabatur. *Zob. Jac. Draco de Patric. l. 3. c. 2.  
n. 4. Hæping. de J. sigill. c. 9. n. 22. seqq.* Inde **NOBILISSIMA-**  
**TUS** deniqve dignitas t. t. eximia Filiis Augustis, & qvi in  
spem Imperii alebantur, Filiabus item singulariter im-  
pertita. *V. Zonaras in Copronymo*, qvi duos Filios Kaiser-  
gas ἐστέψε, τὸν δὲ Νικήτα ἐστέψει ὡβιλλίσμων. *V. Buleng. de  
Imp. Rom. L. 2. c. 9. p. 108. Gifan. de Imp. Justiniano. p. 10.  
Dn. Becman. in Notit. Dign. ill. Diff. 2. c. 1. §. 3. & Diff. 10. c.  
2. §. 4. qvosq; is ibi citat, alios.* Fortè hinc **Adelingorum**  
vel

vel *Æthlingorum* ad Anglos, Germanosque similis trans-  
iit Honos. De quo vid. *Spelm. Gloss. b. v.* item *Wapelingorum*. *Qvō de Lehm. Chron. Spir. l. 2. c. 14. Rittersh. in Proleg. Feud. p. 45. Besold. Pol. C. II. §. 7. n. 48.* Et ad Germanos *Strenuorum Famulorum*: quem seculo etiamdum XIV. amplissimum Nobilium juniorum titulum fuisse testatur *G. Fabric. Ann. Urb. Misn. citat. Laur. Luden. Inform. Prud. ad usum Exerc. 34. n. 39.* Germanicè Knaben/ Knapen / vel cum addito: fūchtige Knaben / Speid. Spec. Lit. F. n. 18. Juncker autem, eò tempore per Germaniam illustrior erat titulus, quam qui Nobilibus aut eorum filiis tribueretur. Ac testatur *Marcus Wagnerus* in libello quem *de ortu Nobilitatis Anno superioris seculi XXCI*, edidit *Magdeb. Litt. H. 2.* suò demum ac Patrum suorum ævo inter Saxones exolevisse morem illum, hoc titulò compellandi Comites atque Barones, quod deinceps alii promiscuè nobiles ex adulantium civium ac mercatorum præposterè civitate novissimè gaudere cæperint. Idem ex *Rein. Reineccii Libello cognomine n. 36.* & *Chronici Coloniensis supplemento de Anno 1511.* confirmat *Laur. Luden. l. c.* Adde *Münsteri Cosmograph. l. 3. c. 20.* *Knichen Encyclopæd. c. 1. n. 102. p. 100.* *Feltn. de Titt. Hon. c. 39. §. 1.* Memorabile est, quod solertissimus rerum Germanicarum indagator *Spangenbergius Chron. Henneb. l. 5. c. 3. fol. 200.* refert, documentum, ubi Regis Daniæ Filius vocatur Juncker Otto von Denmark. Pari honoris titulo & aliis Regum Principumque Filios, primogenitos quoque tum temporis mactos invenias ap. *Höping. l. c. Job. Jac. Drac. l. c. Spangenb. Chron. Sax. c. 13. Hamelm. Chron. Olденб. p. 159.* & *181. Stumph. Chron. Helvet. Anno 1546. Lehem. Chr. Spir. l. 2. c. 16. Olai Hist. Svec. p. 60. 120. 131.* In Hollandia hodieque subscriptionem nobilium: Juncker ende Hope-

Hovelinc<sup>f</sup>, frequentissimam perhibet Feltmannus (de ju-  
ram, perhor. c. 21. & de Titt. Hon. c. 31.) ubi posteriorem  
vocem ab HOBA s. HUBA, agri jugero, cum doctissimo  
Vossio (de vit. Serm. Lat. l. 2. c. 9. voce boba) derivat. Se-  
cūs ac Gotofr. Wendelinus (Gloss. Salic. v. curtis p. 148.) no-  
bis, inqviens, à nostro Hof / vel Hove dicuntur Hovelin-  
ghen / sicut à curtis, (rectius ab italica voce, la corte)  
Cortegiani apud Italos, courtisans apud Gallos: Porro ibi-  
dem nec ita longo abhinc tempore usitatam Nobilium  
compellationem juxtim ac subscriptionem: Ridders vel  
Ritters / contradistinctam alteri, de qvā suprà, Knappen  
vel Knaben / ut illâ Eqvites Toparchæ; hâc armigeri no-  
biles signarentur, ante Feltmannum observavit Reineccius  
l. c. Hosce etiam Caroli M. tempore Gute Mannes di-  
ctos, à Manno, Secundo Germanorum Rege fortissi-  
mo, Tuisconis, si Tacito fides, filio, præter alios notavit  
Hamelmann. Chron. Oldenb. in Proœm. Idem cum solenni  
Celevsmate, ipsis identidem ingeri & adclamari solito:  
Gut mann / Gut mann/ hab gut ach! / auff dein Wacht! &c.  
ex variis Chronicis, Jeverensi, Rinsbekii aliisque Frisicis  
refert Wagnerus l. c. lit. H. Denique per id tempus atque  
etiam recentius Nobiles, illustrèisque viros Diethe pas-  
sim vocatos reperias. (V. Laur. Luden. l. c.) Inde nostrum  
Dietherich compositum, uti facilis conjectura est; ita de  
ipsius voculæ istius ortu vero ac significatu, difficilis. E  
Celticâ Lingvâ manasse conjecterim, qvâ STRENUUM,  
FORTEMQUE significare eam, indicio erunt, qvæ apud  
Marc, Velsorum, virum, judice Lipsio, magnum, & vel ma-  
ximus comparandum leguntur. Rer. Bojic. l. 2. p. 89. &  
l. 3. p. 147.

## IX.

Qvæ de titulo Knaben adduximus, minùs mirabi-  
tur qui meminerit, etiam Latinum PUERI & Germani-

B

cum

cum Bube (fortassis ex Lat. *Puber*) valde honorificum o-  
lim, nec Nobilium saltem, Comitūmve ac Ducum, sed  
Regum quoque Cognomē fuisse. Celebre id cumpri-  
mis est in *OTTONE PUERO*, *WILHELMO PUERO*, qui in  
*Cranzii Saxon.* sic dicitur. Ducibus Brunsvicens. ac Lü-  
neb. præsertim *HENRICO JULIO*, qui necdum trimulus  
*NOBILIS PUEER* dictus. *Dn. Eyben. l. c. §. 54. p. 74. HEN-*  
*RICO BRABANTINO PUERO* seu *INFANTE HASSIAE*, vul-  
gō das Kind zu Hessen &c. Nec alia ferè ratio cognō-  
minum *INFANTIS*, *INFANTE*, *INFANSONIS* &c. in Hi-  
spania, Lusitania, Castilia & vicinis non Regnis tantū  
sed & aliis illustribus Familiis usitatorum. *V. Marian. lib.*  
*10. Rer. Hispan. c. 4. Maleot. de Nobil. c. 14. Besold. thes. pract.*  
*lit. 1. n. 42. & 55. ibid. Addit.* Unde *INFANTASICUM* di-  
ctum apanagium seu patrimonium minoribus Regum-  
filiis assignatum. *Marian. l. 9. c. 7.* Sanè, si ad Roma-  
nam respicimus antiquitatem, illustrissmorum Summa-  
tum Filios jam ultra XV. annos natos *PUERORUM*  
nomine venisse deprehendimus. Ipse *AUGUSTUS*  
*CÆSAR*, imperfecto Julio, cum admovearetur Reip.  
XIX. annos habebat, & tamen *PUEER* appellatur, non  
modo Virgilio in Culice v. 3. & 36. Sancte Puer &c.  
sed & Ciceroni Lib. X. ad Famil. Epist. XXVIII. & Lib. XI. Ep.  
VII. Ac notat Servius ad illud Eclogæ primæ: *Hic il-*  
*lum vidi Juvenem &c.* decrevisse deinceps Senatum, ne  
quis eum *puerum* diceret; ne mājestas tanti imperii mi-  
nueretur. Alium paulò ejusdem vocis usum seqviori  
tempore receptum, sed qui ad dicti nominis der Knaben  
usum proprius accedit, observavit Spelm, l. c. hac voce.  
nempe cùm pro *VASALLIS*, tūm pro *MILITIBUS NO-*  
*BILISSLIMIS* ac maxumē *STRENUIS*, Prior est in *Hinc-*  
*mari Epist. 3. c. 28.* Tertium ordinem *Familia Palatina*  
*PUERIS* designat & *vasallis*. Alter in *Greg. Turonez-*

sis



sis lib. 2. Cap. II. de Vandalis & Alamannis. ubi horum  
Rex: procedant duo, inquit, de nostris in campum, & ipsi  
inter se configant. Tunc ille cuius Puer vicerit, regio-  
nem sine certamine obtinebit. Et mox: Configentibus verò  
Pueris, pars Vandalorum victa succubuit, imperfectoqve  
Puer, placitum egrediendi Transimundus spospondit.  
Usque ad eadē scil. verba valent sicut nummi! Qvod & e se-  
quentibus patebit.

X.

A Comitibus Vett. certos singulis mallis seu judiciis  
ac septem plerumqve Scabinos seu minores judices fuisse  
constitutos, magnæ itidem auctoritatis, passim constat, ac  
eruditè cum primis explicatur à B. Frid. Brummero in Dis-  
sert. de Scabinis. Ceterū qvando hi idcirco in LL. Lon-  
gobard. lib. 2. tit. 40. ac veteri Glossa vocantur AUDITO-  
RES COMITUM, eaqve lectio probata ac retenta est Lin-  
denbrogio in Glossario, Codici antiquarum LL. subnexo.  
verb. Scabini, displicet utrūmqve Spelmanno, Gloss. p. 501.  
ac suspectum videtur mendæ, facili negotio corrigendæ, si  
ADJUTORES legantur pro AUDITORIBUS. Qvam  
lectionem amplexus quoqve deprehenditur Jac. Andr.  
Crusius in Not. Hist. ad Diploma Caroli M. ad Trutm. Westv.  
Com. p. 49. aliiqve. Mirari verò liceat, Spelmanno cum-  
primis tam curato rerum vocumqve antiquarum scruta-  
tori non in mentem venisse crebri usus, quem pro JUDICE  
olim habuit vox AUDITORIS. Equidem in Romanis  
Legibus quoties ea ferè reperitur, dubio non caret, an per  
ad sessorem in judicio, an per discipulum sit interpretan-  
da. Certè in tribus illis locis, ubi priori ratione per ju-  
dicem, Præfectum urbi, Præsidemye & qui cognoscat quo-  
cunque modō ac judicet, Auditorem exposuit C. du Fre-  
ne (Gloss. b. v. p. 383.) nimirum in l. 6. ff. de Dote præleg. l.

B 2

2. ff.



2. ff. de instrum. & l. 3. C. ubi Senat. dissentientem prorsus  
habet Gotfredum; ac posteriori sensu ea singula expli-  
cantem. Ipsa autem audiendi, audientia atque auditorii  
vox, in forensi significatu mirum, quam frequenter in LL.  
istis occurrat. Atque extat integer Titulus Cod. de E-  
piscopali Audientia, quem Gotfredus judicium episco-  
porum interpretatur: qui & causam audire l. i. C. de Lit.  
Contest. & l. 6. §. 3. C. de appell. & l. 26. Cod. cognoscere ac  
judicare dixit. Auditorum quoque Brisonius (de verb. si-  
gnif. lib. 1. p. 65.) definit locum, in quo causae aguntur, ex  
l. i. ff. an per al. caus. app. l. i. in fine ff. ne de stat. def. l. 4.  
C. de liber. Can. Et ex eodem Calvinus in Lex. h. voce. ubi &  
Auditorium Principis, ex l. 19. §. 1. & seq. ff. de minor. & l.  
22. ff. ad Trebell. Auditorium Praefecti Praetorio, ex l. 40.  
ff. si cert. pet. Auditorium Magistratum itemque Appel-  
lationum, ex variis juris textibus judicii locus exponitur.  
Vid. etiam de Auditor. Rom. Buleng. de Imp. R. L. 3. c. 9. Et  
quando Bartolus ad l. i. C. de appell. scripsit: AUDITORES  
Principis & summi Pontificis dicuntur habere jurisdictionem ordinariam, non citra autoritatem juris etiam civilis  
eo sensu vocem auditorum adhibuisse verisimile est. Vid.  
Brederodii Loc. Comm. in Bartol. h. voce. Ex jure quidem  
Pontificio tot concessit loca Calvinus l. c. in quibus eadem  
vox non aliud quam assessoris ac judicis sensum admittit,  
quae transscribere nec vacat, nec attinet. Quemadmo-  
dum neque illa, quae ex variarum gentium institutis atque  
historiis collegit Dn. Fresne l. c. Noti sunt hodieque AUDI-  
TORES ROTÆ ROM. & in Gallia ac Germania quoque  
nostra rerum criminalium Judices militares, die General-  
und Regiments-Auditeurs. Ut adeo nihil causæ esse videa-  
tur, cur expuncto Auditoris verbo, Adjutoris dicto loco  
reponendum quidam cum Dn. Spelm. yelint. Præsertim,  
quam

qvum posterior vox huic negotio minùs conveniat. Qvod deprehendet facile, qvi præter loca juris civ. à Briffonio l.c. suggesta, Jacobum Gothofr. legerit ad l. 10. C. Theod. de cobortal. Et c. tom. 2. p. 452.

XI.

Sed ad SCABINI vocem ut revertamur, occasione hâc, ipsâqve originis obscuritate invitamur. Qvæ uti in diversa egit diversos, ita vix comprehendere licet animo, cur eorum sententia potissimum risu & explosione digna visa fuerit Keckermanno, Gryphiandro, Crusio, aliisqz, qvi fortè Glossatorem Weichbild. art. 10. n. 15. secuti, à scabellis sive scannis, in qvibus pronunciare solent, ut ait Chil. König. in Proc. tit. de Assess. p. 237. dictos putarunt Scabinos. Qvod qvidem haud paulò minùs ineptum videri debebat, ac si Assessores, Beysihere / a sedendo deducamus. Sanè uti Germanica, Banc, Stuhl Locum judicii & tribunal significant, v. g. Gerichts = Banc / Schöp- pen = Stuhl / antiquè Ding = Stuhl unde Die Banc he- gen &c. & in Comitiis Imp. Die Graffen = Banc / Gräde- se = Banc &c. ita & Latinum scamnum & scabellum ab eodem significatu non abludit. V. Limn. 5. Jur. P. c. 7. n. 130. Vindic. Anhalt. p. 113. ibi: CURIA seu TRIBUNAL infra molendinum ante oppidum Ascaniae, dictum SCAMNUM publ. judicii. V. Winther. de Assess. P. 1. c. 3. n. 15. Besold. Thes. Pract. Lit. B. n. 20. Corvin. F. Lat. Verb. Scabellum. Potius Iusisse, risumqve concitasse videtur Matth. Stephani l. 2. de jurisd. part. 2. c. 4. n. 5. qvi à nō 18 scatere scabinos deri- vat, qvòd scateant juris scientiâ. Eorum verò probabilis conjectura est, qvi cum Spelmanno, Frebero Vossio, Job. Is. Pontano, Besoldo, Gryphiandro, Locconio aliisqve a veteri Saxonum voce Schepen i. e. uti ex Otfrido pro- bant, distribuere, ordinare, decernere, accersunt, qvæ ea-

B 3

dem



dem cum nostro Schaffen. Unde hodieque Schafner / qvô Varisci ac Franci, Schaffer / qvo Moravi ac Austria-  
ci, & Schaffer / qvô Bohemi Præfectum, Procuratorem,  
Ephorum & similis officii viros adpellitant. Inde & for-  
tè Gallicum Eschevin, secus ac Gviciard, in Dscr. Belg.  
putat, qvi Lat. Scabinus è Gallico hoc fonte deductum  
voluit. Atqve has Germanicas voces rectius qvām ipsam  
Latinam ex Hebr. שפָחַת Schaphat, judicavit derivāsse for-  
tè summus Cujacius i. F. i. & qvi eum seqvuntur, Chappi-  
nus de Doman. Gall. l. 3. n. 20. tit. 4. Kirchm. de Rep. Disp. II.  
Grotius de Antiq. Reip. Bat. c. 5. &c. Inde etiam honorifi-  
cum olim Nobilium & vel illustrium Virorum titulum  
**Schusft** / i. e. **judex**, (Nold. de Nobil. c. 1. n. 29.) sed pver-  
sis deinceps qvorundam moribus, famāqve hinc seqviori  
in ignominiam paulatim tractum, descendere creditur.  
Aliam verō originationem ex nostro idiomate liceret  
accersere cum M. Wagnero, qvi (ini Uhr = Alten Stamm  
der von Mehen = Dorf Litt. c.) vocem Schusft inter ve-  
teris Germaniæ vernaculae numerat qvæ *juris* significa-  
tionem habuerit, ac superiori etiamdum Seculo ap. Lon-  
gobardos aliosqve in confinio populos *jus gentium* expres-  
serit. Verū ad Comites nostros redeundum, honorem  
corum atqve auctoritatem breviter vñsiris.

## XII,

Cur Angli Comites suâ lingvâ EARLES salutent, va-  
rii varias iterum comminiscuntur rationes atqve origines.  
Nobis probatur Dn. Becmanni, hujus Lingvæ callentissimi,  
qvam à nostro Ehrlich proficisci ait. in Parall. Polit. Diff.  
XVI. s. 16. p. 121.) Non tam qvatenus significat honestum,  
qvam honoratum, seu honore cultuq; præ ceteris dignum.  
Fürnehm/Ehrsam. Qvo sensu & vocem Ehrlich in Sacris sub-  
inde accipi, perhibet. Ut in Historia rebellionis Coræ, ubi  
Socii rebellionis fuisse dicuntur CCL. Viri, Naths=Herrn  
und

und Ehrliche Leuthe/non utiq; honesti jam qvidem, propter rebellio-  
nem, sed honorati. Sic in monito Christi de supremo loco non  
adpetendo *Luc. XIV. 8.* dicitur: μητε εὐλογέσσας η κεκλημένοι.  
*Vulg.* & *Erasmus*: ne forte honoratio te vocatus. *Luth*: Ehrlicher den-  
du. In honestate enim propriè non dantur gradus. Confirmat au-  
tem hanc vocis *Earles* etymologiam cùm solennis hodieq; in An-  
glia Comitum ac Baronum titulus; *the right honourable Earle*; (*deste*  
*Thom. Schmitt. de Rep. Angl.*) tūm similiūm titulorum, ut: *honorable*  
*lis, discreti, spectabilis &c.* Ehrsam / Ehrbar / bescheiden / etiam Prin-  
cipibus viris diu olim per Germaniam ac magnam Europæ partem  
impertitorum freqventissimus usus. Primùm qvidem Ecclesiasti-  
cus, sed deinde invidiā ordinis ad seculares pariter tractus. (*V. Not.* &  
*Add. ad Eyben. Tr. de Nob. p. 77. seqq. Feltm. de Tit. Hon. c. 11. &c.*) Ne-  
que est forte cur de illorum seculorum simplicitate conqueratur  
*Dn. Eyben. d. I. §. 48.* qvā magni & potentissimi Principes tam exili-  
bus se ipsos appellārint titulis; qvandoqvidem hi solo usu ac tem-  
porum genio, non sonō aestimantur.

### XIII.

Cæterūm qvātus Comitum Priscorum honos, qvānta undi-  
qvaqve dignitas fuerit & existimatio, dici hīc non potest, atqve vel  
ex Literis & Rescriptis Imperatorum ad eosdem, inter LL. Roma-  
nas, præcipue Novellas passim obviis, qvibus non FRATRES solūm,  
sed pro ratione officii atqve ætatis PARENTES qvōq; AMAN-  
TISSIMI JUCUNDISSIMIq; salutantur, abunde patet. Qualia  
studiosissimè à *Brissonio* collecta videsis *Lib. 3. de Form. p. m. 316.*  
Ubi & titulos in abstracto Comitibus impertitos, uti INLU-  
STRIS, it. PRÆCELSA MAGNIFICENTIA, AMPLITUDO T.  
it. SUBLIMIS MAGNITUDO &c. non sine gusto haurias. Ad-  
de *Cassiod. de Form. Rect. Prov. & de Form. Comit. Archiatr.*  
Plura verò de Titt. Vett. ac recent. qvi pernosse cupit, Glossaria  
consulat *Webneri*, *Bejoldi*, *Speidelit*, *Lindenbrogii*, *Kilian*, *Vossii*,  
*Spelmanni*, *Du. Fresne &c.* Interpretes item *Feudorum*, & qvi de Pri-  
vilegiis Nobilium ac Doctorum deqve ipsa Nobilitate scripserunt,  
*Crusum de Praeminentia*, *Chassanum ad Consuetud. Burgund.* nec  
non

non in Catalog. Glor. M. Feltm. de Juram. perborr. p. 21. & integrum  
ejus Tr. de Titt. Hon. Nobis alia hīc paucis delibanda restant.

XIV. Comitum ac Marchionum æmulas hodiè dignitates dum  
tradit Paschalius (de Cor. L. IX. c. 23. p. 643.) de nostris minimè e-  
rit intelligendus.

XV. Comites ac Barones immediate Imp. subjecti etsi eandem  
in Comitiis classem occupant, sibiq; invicem æquiparantur à non-  
nullis; superiori tamen illi dignitatis gradu habentur.


XVI. Qvin, qvos sola hodie Gallia & Anglia habet, Vice-Comites,  
dignitate supra Barones ac proximè Comites collocantur. V. Henr.  
Spelm. Gloss. b. voce. Beclm, Parall. Pol. Diff. XVI. §. 16. p. 122. Cum iis  
in Germania Dominos speciatim & velut καὶ ἔχοντας ac antiquo ri-  
tu sic dictos quodammodo componere licuerit. Feltm. d. l. c. 39.

XVII. Comitem, si status Imperii sit, juraque superioritatis, qvæ vocant,  
habeat, tantum in comitatu suo posse, quantum Imperator in Imperio, rectè  
quidem dicitur à multis, non æquye tamen rectè ab omnibus explicatur.

XVIII. Nemo autem Comitum vel Principum Germaniae eam in subdi-  
tos potestatem habet, quam Domini olim in servos. Ceu perperam omni-  
no tradit Mynsing. ad §. 1. Inst. de his qui sui vel al jür. Confusò malè Do-  
minii jure cum jurisdictione: notatus ideo Bachovio ad d. §. 1. aliis g; Ne-  
que enim vel alienare Princeps invitatos subditos potest, qvia æquè interest  
subditorum, non mutare Dominum; ac Domini, non mutare subditos. Gryph.  
de Ins. c. 24. p. 361. n. 35.

XIX. Jus Imperatorium per Comites Palatinos creandi Poëtas dum ma-  
jora inter Regalia referre malunt Bocerus (de Regal. c. 2. n. 246.) & Brandmili-  
lerus (manud. ad Jus Canon. & Civ. p. 312.) favori non tantum artis nobi-  
lissimæ atque olim sanctæ; sed & dignitati Auctoris dedisse videntur. Se-  
cūs ac alii plerique omnes Politici, qui neque in subjecto (qvod fundamen-  
tum istius distinctionis regalium ponunt, ut Sixtin. de Reg. l. 1. c. 2. n. 2. § 45.)  
neque in objecto (qvod aliis ac solidius ferè fundamentum est) eam agnoscē-  
scere prærogativam velle videntur. V. Magnif. Dn. Ziegler. d. l. L. 1. c. 25.  
§. 1. seqq.

XX. Potestatem indicendi Comitia Juribus Majestatis accensere nulli  
dubitamus. Dubitante licet Arumæo de Com. c. 3. n. 1. p. 68. V. Laud.  
Dn. D. Zieggl. l. c. Cap. 31. §. 10. 16.



05 A MBS

ULB Halle  
003 766 42X

3



V3 17






# Farbkarte #13

B.I.G.

Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
-------	---------	-------	---------	-----	--------	-------	------	------



Christo!  
TIONUM  
OLITICARUM,  
I PUE  
FIBUS,  
ILSIS,  
*in Ampliss. Fac.  
tuendo,  
um velitationi  
et  
SES  
S CALENUUS,  
SAXO,  
DENS  
ER FASSELIUS,  
Frisius.  
A. c I, I c XXCIIIX.  
MAJORI.  
ICKELIUS, Acad. Typogr.*